





1726, 31.  
17

8

DISSERTATIO JURIDICA  
DE

NON PRAESUMTA DOMICILII  
MUTATIONE

QUAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
CONSENSV

SVB PRAESIDIO

P. 89

DN. D. JOH. FLORENTIS RIVINI

INSTITVT. P. P. SVPR. CVR. PROV. ET CON-  
SIST. ADVOCAT. ORDIN. ET FACVLT. JURID.  
ASSESSOR.

*PRAECEPTORIS SVI OMNI HONORIS  
CVLTV AETERNVM PROSEQVENDI*

SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI

D. XVIII. JVLII M DCC XXVI.

SUBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

HENRICVS FRIDERICVS VON BRINCK  
LIPSIENSIS.

LIPSIAE

LITERIS IMMANVELIS TITII.



DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
NON PRAESUMTA DOMICILII  
MUTATIONE

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
CONSENSV  
SVB PAESIDIO

DN. D. JOH. FLORENTIS RIVINI

INSTITVT. P. P. SVPR. CAR. PROV. ET CON-  
SIST. ADVOCAT. ORDIN. ET FACULT. JURID.  
ASSESSOR.

PRAECEPTORIS SVI OMNI HONORIS  
CAETNA AETERNAM PROSPERANDI

SOLEMNI ERADITORVM EXAMINI

D. XVII. JULII M. DCC. XLVI.

SVMMITIT

AVCTOR ET RESPONDENS

HENRICVS FRIDERICVS VON BRINCK

LIPSISIS

LIPSIÆ  
LITERIS IMMANNVELIS TITHE

V I R O  
CONSULTISSIMO ATQVE EXCEL-  
LENTISSIMO

D O M I N O

JACOBO BORNIO

JCTO CONSUMMATISSIMO  
POTENTISSIMI REGIS POLONIAE  
ATQVE SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE  
IN SUMMO PROVOCATIONVM JVBICIO CON-  
SILIARIO, SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS  
ASSESSORI GRAVISSIMO, ET REIPVBL. LIPSIE-  
SIS PROCONSULI MERITISSIMO

VT ET

V I R O  
AMPLISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO

D O M I N O

GOTTFRIEDO LEONHARDO  
BAVDISIO

JCTO CELEBERRIMO

IN CVRIA SAXONIAE SVPREMA PROVIN-  
CIALI ADVOCATO, COLLEGGI B. MARIAE VIRGINIS  
COLLEGIATO, SENATORI CIVITATIS LIPS. ET BI-  
BLIOTHECAE SENATORIAE PRAEFECTO  
GRAVISSIMO

DOMINIS AC PATRONIS SVIS  
SVBMISSA OBSERVANTIA SVMME COLENDIS

HAS  
QVALESCVNQVE STVDII IVRIDICI  
PRIMITIAS

IN  
ACADEMICORVM STVDIORVM  
COMMENDATIONEM  
PIETATIS NVNQVAM INTERMORITVRAE  
MONVMENTVM

DEMISSA ANIMI RELIGIONE

OFFERT DEDICAT ATQVE CONSECRAT

devotissimus obsequentissimusque

HENRICVS FRIDERICVS von BRINCK.

CLARISSIMO ET PEREXIMIE DOCTO  
DN. AVTORI ET RE-  
SPONDENTI SVO

S. P. D.

PRAESES.

**R** Eddo *TIBI* Dissertationem  
tuam, in qua conscribenda  
cultum debitum exhibuisti  
Legibus, has a tenebris  
vindicasti, imprimis ad usum  
fori applicasti, eoque mul-  
tifariam in patrio &que ac communi Jure ac-  
quisitam scientiam demonstratam dedisti. Gra-  
tulator *TIBI* de hoc indubitato eruditionis  
*TVÆ* monumento, *TIBI* que prosperrimos  
quosvis rerum studiorumque eventus appre-  
cor. Nati sumus, ut Deo religionem exhibea-

( O )

beamus (a). Sanctissimum enim imo jucundissimum Patricæ nomen & quemlibet interna obligatio impellit, ut publicis utilitatibus quatenus potest inserviat, & ubi vitam accepit, ibidemque aliis inserviando consumat. Hinc Imp. Arcad. & Honor. (b) patriam & imposita munera fuga quasi furtiva destituere impium pronunciant. Sane omnis mutatio periculosa censetur. Interim originem laremque paternum cæco affectu perpetuo retinere, & divinæ quasi providentiæ limites ponere, eandem saperet iniquitatem. Proinde TIBI, Clarissime Dn. Respondens, ut patria prope diem promeritos honores tribuat, animitus voveo, fortasse tamen non repugnabis, si Divino, quod omnia moderatur, Numini TIBI necessariam eamque proficuum domicilii mutationem injungere placeret. Patria enim est, ubicunque bene est. Dab. Lipsiæ d. 9. Julii An. Rec. Salut. M DCC XXVI.

(a) L. 2. ff. de J. & J. L. 1. §. 15. ff. de ventr. in poss. mitt.

(b) L. un. C. si curial. rel. civit. & L. 17. C. de resc. vend.



CONSPECTVS  
DISSERTATIONIS.

- §. I. *Difficultas argumenti.*  
§. II. *Variæ domicilii significationes atque divisiones.*  
§. III. *Romanis urbs Roma communis patria, non domicilium universale.*  
§. IV. *Domicilii proprie dicti ex jure Romano descriptiones illustrate.*  
§. V. *Ejusdem definitio accuratior & summa partitio.*  
§. VI. *Domicilium necessarium 1) ex persona propria, relegati & militis.*  
§. VII. *2) Ex persona aliena, domicilium uxoris, liberorum.*  
§. VIII. *Voluntarium domicilium est vel juris, ut viduæ, Senatorum, Clerici residentis,*  
§. IX. *Vel est facti. Ejus constituendi ratio.*  
§. X. *Omne domicilium regulariter mutabile.*  
§. XI. *Voluntarii domicilii mutatio est libera voluntatis, aditis tamen exceptionibus.*  
§. XII. *Voluntarii domicilii mutatio necessaria quomodo fiat?*  
§. XIII. *Ejusdem mutatio voluntaria definitur.*  
§. XIV. *De voluntaria mutatione Axioma I. Eam requirere animum deliberatum; cum consuetariis.*  
§. XV. *Questiones duæ, de melancholicis & de simplicibus, deque furiosis examinantur.*  
§. XVI. *Axioma II. spectandam esse intentionem: consuetaria de studiosis & de opificii addiscendi causa discedentibus.*

- §. XVII. *Consecrarium de milite.*  
§. XVIII. *Item de Legatis, Officialibus & Consiliariis Principum, deque mercatoribus.*  
§. XIX. *De conductore prædii alibi siti.*  
§. XX. *De iis, qui ob metum periculi, aut curandi morbi causa alibi commorantur.*  
§. XXI. *De condemnatis in carcerem perpetuum ergasteriumve.*  
§. XXII. *De furiosis, deque luxuriosis adolescentibus, in custodiam aut acriorem disciplinam aborsum datis, item de rapta, securitatis ergo alio translata.*  
§. XXIII. *Axioma III. Requirit liberam de persona ac rebus suis disponendi facultatem. Consecr. de pupillis, minoribus & prodigis.*  
§. XXIV. *Axioma IV. opus esse declaratione mutata voluntatis, eaque vel expressa, per verborum contestationem;*  
§. XXV. *Vel tacita, per facta, non tamen per solam durationis temporis commorationem.*  
§. XXVI. *Nec per bona translata aut administrationem eorum alibi constitutam.*  
§. XXVII. *Sed ista indicia conjunctim requiri.*  
§. XXVIII. *Maritus ad uxorem intrans novum constituit domicilium.*  
§. XXIX. *Mutatio domicilii est facti. Ergo debet probari.*  
§. XXX. *Effectus mutationis domicilii potiores.*  
§. XXXI. *In specie ratione juris succedendi ex testamento & ab intestato.*  
§. XXXII. *Casus practicus recensetur.*  
§. XXXIII. *Responsum in casu successionis.*



§. I.



**D**octrinam de domicilio & de constitutione ac translatione ejus tot circumstant dubia, tot implicant leges non omnino concordēs, totque ambigūam reddunt opiniones interpretum, ut casuum in foro obvenientium dijudicatio inde non possit non esse difficilis atque incerta. Id quidem sentientes Jcti pridem statuerunt, omnem sive de constituto, sive de translato domicilio controversiarum decisionem arbitrio judicis relinquendam esse, uti visum MENOCH. *de Arb. Judic. quest. cas. 86. n. 16.* CARPZ. *lib. II. Resp. 23. n. 11.* LAVTERBACH. *de domicil. c. 3. n. 111. seqq.* LEYSER. *ad π. specim. 72. n. 1.* Neque tamen idcirco nihil ab arte juris in hoc argumento expectari posse atque frustraneum omnem de jure domicilii ad regulas certas revocando laborem esse, affirmaverim.

§. II.

Varia dantur domicilii species, VVLTEJVS olim tres asseruit, *Comment. ad l. 2. C. de jurisd. n. 14.* domicilium originis, habitationis & bonorum, quem secuti alii

alii. DONELLVS *comm. jur. civ. lib. XVII. c. 12.* unum proprie sic dictum habitationis, quod vocat, domicilium agnovit, idque docuit solum in jure *domicilii* nomine venire. Idem postea docuere STRVV. *Synt. Jur. Civ. Ex. IX. th. 20.* LAVTERBACH. *de domicil. c. 3. n. 64.* STRAVCH. *ad π. disp. 21. th. 15.* SCHILTERVS Vultejanz domicilii partitioni patrocinium præstitit, *Ex. ad π. 13. §. 22. seq.* cui respondit DN. THOMASIVS in *Diss. de Vagabundo c. 1. §. 8. seqq.* Vulgaris est opinio, domicilium originis distinguendum esse a domicilio habitationis. Inde nota domicilii in commune, quod olim Romanis Urbs Roma, & privatum seu proprium, hujusque iterum in naturale seu originarium & accidentale, divisio, quam DN. THOMASIVS *d. 1. §. 18. seqq.* & in *Schol. ad Huber. Prælect. jur. civ. P. II. ad r. π. de judic. n. 38.* impugnavit. Certe si domicilium originis opponas illi habitationis, confundis patriam cum domicilio.

## §. III.

Equidem qui domicilium patriæ seu reipublicæ ut appellant ANTON. MATTHAEI *disp. de judic. 16. th.* & HVBER. *prælect. ad π. l. c. §. 39.* tanquam domicilium ab habitatione diversum tuentur, leges proferunt, verum quibus saltem probant, origine aliquem patriam, & ex patria forum fortiri. Neque Urbs Roma commune civium Romanorum domicilium, sed patria communis dicitur a MODESTINO in *l. 33. ff. ad municip.* & in *l. 6. §. 11. de excusat.* & a CALLISTRATO in *l. ult. ff. de Interd. & releg.* plane ut à RVTILIO NVMATIANO, qui jus civitatis cum orbe Romano com-

muni

municatum respiciens in Itinerario *lib. l. v. 63. seqq.* ad Urbem Romam ita:

*Fecisti patriam diversis gentibus unam,*

*Profuit injustis, te dominante, capi.*

*Dumque offers victis proprii consortia juris*

*Orbem fecisti, quod prius orbis erat.*

Neque effectus ille, ut in Urbe Roma repertus, licet alibi proprium domicilium constitutum haberet, ibi conveniri potuerit *l. 28. §. 4. ex quibus caus. major.* est a domicilio, sed a patria, quæ ipsum civem originarium & subditum faciebat. Imo vero satis id evincit distincta a patria ratio domicilii in eo habita, quod Romæ tantum præsens & ibi repertus conveniri potuerit, *d. l. 28. l. 2. §. 3. & 5. de judic. DONELL. d. c. 13. lib. 17. LAV-TERBACH. d. l. c. 1. §. 5. in loco domicilii proprii vero simpliciter, sive præsens, sive absens, defendere se debuerit, l. 21. §. 2. ex quibus caus. maj.* Tanto magis vero multa communis domicilii, vel fori ex origine competentis consideratione superfedere licet, quanto certius nullum utriusque usum hodie superesse perhibent. *LAV-TERBACH. l. c. c. 1. n. 20. seqq. STRVV. d. Ex. §. 15. BRVNNEM. ad l. Romæ 33. ff. ad Municip. & ad l. 11. ff. de Senator. MYLER. de stat. Imp. c. 38. GAIL. 2. Obser. 36. 7. SCHILT. Ex. 13. §. 24. HVBER. d. l. n. 39. DN. THOMAS. de vagab. c. 1. §. 65. seq. Magnif. MENCKEN. Theor. & Pr. π. 1. de judic. n. 27.* Id quod tamen de domicilio in loco originis dictum accipi nolim, ejus usum iidem Jcti ostendunt, & quem suo loco non intactum sum relicturus.

§. IV.

Sepositis igitur vagis domicilii pro loco, ubi bona majorum partium sita sunt, & pro loco originis, siue patria communi aut propria, acceptionibus, solum mihi curæ erit habitationis domicilium, quod vulgo vocant particulare. Descriptio ejus elegans est, quam sic complexi sunt Imp. DIOCLET. & MAXIM. in l. 7. C. de Incol. ubi quis larem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit: unde rursus non sit discessurus, nihil avocet, unde cum profectus est, peregrinari videtur. Et ALFENVVS in l. 203 de V. S. ait: Domum esse, ubi quisque sedes & tabulas habet, suarumque rerum constitutionem fecit. Merito quidem venustate majori, quam certitudine ac perspicuitate istis locis domicilium definiri, notat DONELL. comm. lib. 17. c. 12. sed e re erit, & venustatem istarum descriptionum sectari. Imperatores primum domicilii indicium faciunt *laris constitutionem*, laris scilicet familiaris, siue domestici, qui privatis aedibus praeesse credebatur, unde larem pro domo dictum satis tralatitium est, & qui collocabatur peracto ædificio, dum constituebatur in eo domicilium, sacro insuper facto, quo lemures extra januam ejicerentur. CIC. ad Attic. II. epist. 13. GV'THER. de jure man. II. c. 16. Larem matrimonio collocatum nuncupat VLPIANVS in l. 1. §. 2. ff. de agnos. & alend. lib. domicilium a marito fixum innuens, quod ibidem *hospitii* nomine venit, opposite ad domum, quæ larem non habet, i. e. in qua sedem suam primariam & domicilium fixum quis minime constituit, siue sit in urbe siue sit in agro: vid. HVBER. Digest. P. II. lib. 1. c. 12. n. 3. Larem itaque constituisse certo loco, Imperatoribus idem est, quod

quod ALFEN O fedes alicubi suas habere & VA-  
 LENT. GRAT. & VALENT. A. A. A. in l. 2.  
 C. ubi Senat. larem fovere : id enim per larem signi-  
 ficari documento est, quod apud SALLUSTIVM in-  
 quit Catilina : *Illos binas aut amplius domos continua-  
 re, nobis larem familiarem nusquam esse ?* Et quod  
 Imp. dicunt, *fortunarum suarum & rerum summam  
 constituisse*, Jcto est *tabulas habere suarumque rerum  
 constitutionem aliquo loco fecisse* quod in d. l. 2. C. ubi Se-  
 nator : dicitur *maorem bonorum partem possidere & assidue  
 versari*, & in l. 6. §. 2. ad Municip. *se alicubi plene instruxisse,  
 sese collocasse* l. 27. §. 1. eod. *semper alicubi agere, ibi ven-  
 dere, emere, contrabere, eo in foro, balineo, spectaculis uti, ibi  
 festos dies celebrare : omnibus loci commodis frui.* Ac per  
*tabulas imprimis intelligit Jctus rem economicam, de  
 qua tabulas accepti & expenfi faciebant veteres patresfamil.  
 quas qui non faceret, eum extreme negligentem existima-  
 bant, teste GELLIO, lib. V. c. 18. ceu docte observat HV-  
 BER. Praelect. P. II. ad d. l. II. n. 43. sed addunt Imp. unde  
 non sit discessurus, si nihil avocet, unde cum profectus est, pe-  
 regrinari videtur : quae verba destinatum perpetuo man-  
 nendi animum significant ; quippe existimatione animi  
 accipiendum esse, ubi quis domicilium habeat, docet VL-  
 PIANVS d. l. 27. §. 2. ad municip.*

Dum jam nemini obscurum esse potest, quid mihi  
 per domicilium intelligatur, vix opus est accuratori defini-  
 tione, quam tamen methodi causa mutuo accipiam ex  
 B. TITII *Fure priv. lib. IIX. c. II. §. 8.* Domicilium est  
*habitatio certo in loco, animo ibi perpetuo consistendi, si cau-  
 sa superveniens non avocet, instituta.* Tali ex habitatione

oritur incolatus, cujus indicia satis perspicua modo ex l. 7. C. de incol. § 1. 239. §. 2. de V. S. l. 6. § 27. §. 2. ad municip. recensui, & cui applicandam reor definitionem domicilii, quam tradit Dn. THOMAS. d. D. c. 1. §. 25. quod sit status adventitius ex loco habitationis ortus, juxta quem homini in civitate jus redditur. Atque hoc sensu accepti domicilii aptissime constituuntur due species summe, una domicilii necessarii, altera voluntarii: FRANTZK. in Comm. ad II. r. de judic. n. 27. LAVTERB. d. l. c. 3. n. 66. TITII. jus priv. lib. IIX. c. 11. §. 8. GER. NOODT. ad II. t. de judic. pag. 152.

## §. VI.

Domicilium necessarium non ea ratione dicitur, ut omnis voluntas in ejus constitutione excludatur, sed eodem modo, prout LAVTERB. l. c. n. 67. explicat, quo depositum necessarium, stipulationes necessarias, sequestrum necessarium, procuratorem in rem suam necessarium appellamus. Scilicet necessitatem hypotheticam intelligimus, ex qua domicilium existit: TITIVS l. c. Eamque si secundum jus civile Romanum distincte consideremus, talis necessitas alicui contingit vel ex persona propria, vel ex persona aliena. Ibi consequitur quis necessarium domicilium à se ipso, per poenam relegationis in insulam certam l. 22. §. 3. ff. ad municip. l. 7. de interd. §. releg. quamvis nec domicilium ex quo relegatus est, penitus amittat l. 27. §. f. ad municip. item per militiam. Miles enim ibi domicilium habere videtur, ubi meret, si nihil in patria possideat l. 23. §. 1. ad municip. quia tunc videtur se totum militiae adixisse, nec alibi, quam ubi militem agit, domicilium habere: cum e contrario, si bona in patria possideat, ac ibi rerum suarum constitutionem fecerit non censeatur in loco, ubi



ubi militat, domicilium habere, sed solum militia causa ibi vivere, COLER. *de proc. execut. p. 2. c. 1. n. 34.* STRVV. *Ex. 9. §. 23. n. 3.* BERGER. *Suppl. E. D. F. P. 1.* Necessarium vero est hoc domicilium, quia miles id, à jure sibi constitutum, detrectare non potest, dum per juramentum stationi suæ adstringitur, nec ab ea, quamdiu miles est, pro lubitu discedere potest. DN. THOMAS. *d. l. §. 33.*

§. VII.

Ex persona aliena domicilium alicui contingit, dum ab altero illud participat. Vxor quia non potest separatim à marito habitare, sed perpetuo ejus consortio addicta est, postquam per matrimonium exiit è familia patris, & transit in familiam & domum mariti, qui uxoris simul ac totius familiæ caput est, hujus domicilium necessario sequitur *l. ult. C. de incol. l. 65. ff. de judic. l. un. C. mulier in quo loc. mun. Lib. X.* RICHTER. *P. I. decis. 9. n. 1.* idque domicilium matrimonii dicitur POMPONIO *in l. 5. de ritu nupt.* Neque dubito huc referre domicilium originis, id est habitationem originariam, & a parentibus quæsitam atque ad natos transmissam, *l. 1. §. 2. ad municip. l. 6. §. 1. eod.* Nascendo enim nos aliquam fortiri habitationem, eandem nempe, quam pater sibi tunc temporis constituit, res ipsa loquitur: Et cum alias etiam difficile sit, sine domicilio esse quenquam, *l. 27. §. 2. ad municip.* non sine causa est præsumtio, quoties de alicujus domicilio dubitatur, in origine, seu patria domicilium fuisse retentum: FRANTZK. *resol. Lib. I. 16. 18.* BRVNN. *ad l. 33. ff. ad municip.* ZAN- GER. *de Except. P. II. c. 1. n. 9.* HVBER. *Prælect. P. II. ad d. l. II. n. 47.* TITIVS *Jur. priv. l. II. c. II. §. 7.* In primis vero domicilium filii familias impuberis eo sensu est necessa-

necessarium, *arg. l. 3. 4. §. 1. 17. §. 11. ad municip.* qui & pu-  
 bes factus, cum potuit ipse domicilium sibi constituere. *d. l.*  
*3. §. 4. ad municip.* nec tamen de alio domicilio ejus con-  
 stat, retinuisse censetur domicilium originis paternæ.  
 MEV. *ad jus Lub. lib. II. a. 2. rubr. 19.* MASCARD. *Concl.*  
*534. n. 1.* CARPZ. *Dec. 1.* PAVL. CHRISTIN. *in C. r.*  
*de municip. vol. 5. Dec. 31. n. 31.* Ex quibus facile patet,  
 quæ ratione domicilium originarium ab origine, quæ duo  
 JCTi in *L. 6. §. 1. §. 1. 17. §. 9. §. 11. ad municip.* ac alibi invi-  
 cem opponunt, ego discernam. Origo est patria, quam  
 naturalis origo patris facit *l. un. C. ubi pet. tut. l. 6. §. 1. ff. ad*  
*municip.* non origo propria. *l. 3. C. de municip. §. orig.* Do-  
 micilium originarium facit patris domicilium & nativitas  
 liberorum *l. 11. ff. de Senator.* vid. CVIAC. *Observat.*  
*lib. 24. c. 33.*

#### §. VIII.

Venio ad domicilium voluntarium, cum habitatio  
 alicubi libera voluntate constituitur, citra ullam juris ne-  
 cessitatem. Illud respicit MARCELLVS in *l. 31. ad*  
*municip.* *Nihil est impedimento, scribens, quo minus quis*  
*ubi velit habeat domicilium, quod ei interdictum non sit.*  
 Iraque regulariter omnibus locis specialiter non prohibitis  
 domicilium constitui potest; Et libertatis istius naturalis  
 usus nemini denegari potest, aut impediri, nisi lex specialis  
 vel statutum ei impedimento sit. Quemadmodum vero  
 alias in jure nostro voluntas non solum verbis factisve ex-  
 pressa, sed præsumta quoque attenditur, & obligationes  
 producit: Ita & voluntas collocandi aliquo loco domici-  
 lium vel speciatim declaratur, vel a lege aliquando præsu-  
 mitur: hoc domicilium voluntarium *juris* illud *facti* com-  
 mode appellatur a DN. THOMAS. *l. c. §. 25. §. 41.*  
 Domi-

*Domicilium juris voluntarium est habitatio, quam J. civile præter voluntatem expressam alicui ad habitandum, quamdiu velit, constituit.* Conspicuum satis exemplum est in vidua, quæ post mortem mariti retinet ejus domicilium, donec ad secunda vota transeat, vel ei renuntiet, *l. 22. §. 1. ad municip. l. ult. C. de bonis mar. gen. l. ult. C. de Incolis.* NEWENHAHN. *Tr. de jurib. & privileg. viduit. sect. 5.* TIRAQVELL. *de Nobil. c. 18. n. 9.* Cessantibus enim, defuncto conjugè, quæ ipsam domicilio viri alligabant rationibus, dum habitationem non mutat, libera voluntate eandem retinuisse præsumitur. Item jure Romano Senatores in urbe Roma domicilium habebant *l. 11. ff. de Senat. l. 9. C. de incol. ubi vocatur domicilium dignitatis*, idque retinebant, etiamsi liberum commeatum, id est, liberum ubi vellent morandi arbitrium impetrassent, *l. 22. §. 6. ad municip. conf. ZAMOSC. de Senatu Rom. lib. 1. pag. 62.* Similis est ratio domicilii, quod Clericus nanciscitur in loco beneficii Ecclesiastici residentiam requirentis & quod appellare solent *domicilium beneficii Ecclesiastici*: VVLTEJ. *ad l. 2. C. de jurisd. n. 15.* PANORMIT. *inc. 14. X. de foro compet. & in c. qui tantum, in fm. de cler. non resid.*

§. IX.

*Domicilium voluntarium facti est habitatio citra juris necessitatem, aut præsumtionem libera voluntate, eaque verbis aut factis declarata aliquo loco constituta, ita, ut constituens inde rursus non sit discessurus, si nihil avocet, l. 7. C. de incol. l. 65. de judic. l. 203. l. 190. de V. S. DONELL. lib. 17. comm. 12. STRVV. Ex. 9. §. 20. GAIL. obs. Pr. II. c. 35.* Scilicet neque sola habitatio, neque sola declaratio voluntatis de futura habitatione, neque sola domicilii certo loco instituti indicia, nisi quotidiana & perpetua commoratio accedat, rem conficiunt, *vid. l. 2. l. 7. C. de incol. l. 20.*

B

l. 27.

*l. 27. §. 2. ad municip.* FR. de AMAYA *in d. l. 7. C. n. 99.*  
 LAVTERB. *l. c. n. 87.* Verum expressa inhabitationis  
 declaratio cum inhabitatione ipsa & facto conjuncta requi-  
 ritur *d. l. 20. ad municip.* ibi: *domicilium re & facto trans-*  
*fertur, non nuda contestatione.* MENOCH. *lib. 6. pres. 42.*  
*cas. 86.* FRANTZK. *ad II. t. de judic. n. 29.* CARPZ. *l. 11.*  
*Resp. 21. n. 15.* Id quod etiam fit, cum quis in civitate ali-  
 qua impetravit jus civitatis, ac ibidem habitat, quæ duo  
 proinde conjunctim certissimam, domicilii probationem  
 inferre dicit CARPZ. *d. R. 22. n. 17.* add. MA'T' TH.  
 STEPHAN. *de jurisd. Lib. I. c. 28. n. 71.* Item facto de-  
 clarata domicilium constituendi voluntas tum demum exi-  
 stimari potest, si plena rerum administratione alicubi con-  
 stituta, aut potioribus rebus translatis, quis cum uxore &  
 familia ibidem subsistat, vel assidue, si familia careat, &  
 quotidie versetur *l. 27. §. 1. ad municip. l. 2. C. ubi Senat.*  
 MENOCH. *Arb. jud. l. 2. cent. 1. cas. 86. n. 11. ff.* ZANG.  
*de Except. P. II. c. 1. n. 32.* Nec refert, sitne domus pro-  
 pria, an aliena, locata, vel gratuita *l. 1. §. 2. de agnos. &*  
*alend. lib.* CARPZ. *P. I. C. III. def. 18.* At quibus tamen  
 indiciiis vel maxime conjunctim acceptis multum deroga-  
 tur, si de alia quam perpetuo manendi & domicilium ha-  
 bendi mente constet. *l. 2. C. de incol.*

## §. X.

Omne domicilium est mutabile, sive id ex necessitate  
 existat, sive ex presumptione juris, sive ex voluntate libere  
 declarata. Idque innuit PAPINIANVS in *l. 17. §. 11.*  
*ad municip. domicilij rationem dicens temporariam.* Et  
 vero res ipsa loquitur, non eadem profus ratione domici-  
 lii necessarii atque voluntarii mutationem contingere, sed  
 eandem tamen utrobique aliquid commune etiam habere.  
 Cum domicilium necessarium hypothetica necessitate, vel

ex

ex persona propria, vel ex aliena oriatur, patet, cessante demum vel sublata ejus necessitatis causa, ipsam domicilium retinendi obligationem desinere atque voluntatis esse incipere, utrum, cui antea adstringebatur, domicilium quis postmodum instar voluntarii retinere, an vero mutare velit: eoque domicilii utriusque mutatio convenit: quippe & voluntarium spontanea desertione atque translatione mutatur. Quod si per species eundem est, relegati necessitas habitandi in loco, cui inclusus est, statim expirat, elapso, ad quod relegatus erat, tempore *l. 7. §. 2. 3. ff. de Interdict. & releg. l. 19. eod.* aut impetrata superioris concessione, vel gratia restitutione, *d. l. 19. l. 22. §. 3. ad municip.* qualem domicilii necessarii atque luctuosi mutationem ab Augusto pollicetur sibi OVIDIVS *Trist. III. Eleg. V. v. 53.*

*Spes igitur superest, facturum ut molliat Ipse*

*Mutati poenam conditione loci.*

Quod de relocatorum domicilio dixi, PETR. REBVS *de domicili elect. in prefat.* applicat, ad eos, qui ad curandum Massilia portum relegantur, & LAVTERBACH *d. l. n. 70.* ad eos, qui in arcifinia Turcica, *auf ein Gränz-Haus*, condemnantur. Miles, impetrata missione, desinit habere ibi domicilium, ubi merebat *l. 23. §. 1. ad municip. l. 2. de veteran.* Uxor soluto matrimonio incipit habere domicilium voluntarium per superius tradita *§. IX.* Imo vero soluta quoad vinculum, non retinet instar viduae domicilium forumque mariti, sed plane domicilium originarium, si ad illud redeat, aut novum, quod eligit, spectatur: Siquidem viduae jura tali commode applicari non possunt, quemadmodum nec jura successione conjugum in casum mortis obtinentia ei conveniunt, & uxor, quae separationem petit, juribus, quibus ex

persona mariti gaudebat, renuntiasse merito censetur, uti visum Supremae Curiae Lips. in literis ad Poreniss. datis d. 3. Jun. 1691. qv. 10. vid. Illustr. de BERGER E. D. F. t. IV. c. 12. n. 1. Filius, cum adhuc sub potestate constitutus, modo sit pubes factus, mutare domicilium paternum possit l. 3. l. 4. ad municip. tanto magis id potest emancipatus.

## §. XI.

Quemadmodum voluntariae habitationis liberrima est regulariter constitutio, ita mutatio ejus ex ambulatoria hominis voluntate, tanquam causa, libere contingit. Restrungunt eam tamen haud raro leges particulares, ac poenam irrogant mutantibus domicilium sine praescitu aut consensu Superiorum. Ita in *Ord. Lusat. Super. a. 3. §. Im Fall aber* &c. 2. gravis poena in subditos, qui sine dominorum consensu discedunt, atque alibi domicilium constituunt, constituta est, ut haereditate & bonis excidere debeant. Et in *Ord. polit. Wirtemberg. t. 2. §. 7.* injungitur, ut domicilium transferentes, id agant, scientibus Serenissimi Ducis officialibus, absque tamen simili rigore atque bonorum privatione. Imo vero neglecto officialium consensu ne quidem mutationem domicilii impediri solere, testantur BESOLD. *disp. ad Ord. Wirt. th. 1. LAVTERB. l. c. n. 214.* Homines proprii invitis dominis emigrare & domicilia sua relinquere etiam prohibentur *R. I. d. a. 1555. §. Wo aber unser* &c. conf. STAMM. *de servit. pers. l. 3. c. 37.* HVSAN. *de hom. propr. qu. 5. n. 10. ff. nisi ob religionum diversitatem utantur beneficio emigrationis spontanea, in quo nec servitutis nec agriculturae prae-textu impediri possunt, quo minus domicilium in alias suae religioni addictas provincias transferant, J. P. O. & M. art. 5. §. 12. vers. conventum est.* Huc & spectat observatio de domicilio originis, uti vulgo appellatur, seu potius de origine, quae

secun-

Secundum jus Romanum mutari non potest. *Nec enim, ait VLPIANVS in l. 6. ad municip. errore veritas originis amitti, nec mendacio dicentis, se esse, unde non sit, deponi, neque recusando patriam, ex qua quis oriundus est, neque mentiendo de ea, quam non habet, veritatem mutare potest.* Et IMPP. in l. 4. C. de munic. Et origin. rescribunt: *Origine propria neminem sua voluntate eximi posse, manifestum esse.* Quamvis autem originem & patriam unusquisque revera in perpetuum retineat, nec eam domicilium transferendo abdicare, atque alio loco oriundus videri possit, effectus tamen hodie prorsus cessant, ac universali Germaniæ consuetudine alibi domicilium constituens, neque quoad honores & munera, neque quoad jurisdictionem juris originis adstrictus est. PAVRMEIST. *de jurisd. lib. II. c. 8. n. 37.* VVLTEJ. in l. 2. C. de jurisd. c. 2. n. 23. GAIL. *Obs. Pr. II. 36. n. 7.* FRANTZK. *l. 1. res. 16. n. 44.*

§. XII.

Ex hactenus dictis apparet, & necessarium domicilium degenerare eatenus in voluntarium, quatenus submoti illius causa liberum alicui est, num alium habitationi locum & vel pristinum, vel novum domicilium querere, an vero in loco subsistere, ibique voluntarium domicilium instituire malit, si militem quidem excipias quoad fori competentiam: Nam & hunc in loco, ubi militavit, aut in praefidiis fuit, remanere atque quoad alios juris effectus domicilium habere posse, non est dubium. Ergo omnis domicilii mutatio versatur circa domicilium voluntarium: sed idcirco non omnis domicilii voluntarii mutatio est voluntaria, quippe cum alicui necessitate juris domicilium constituitur, prius domicilium ei non ex libera ipsius voluntate mutatur. Missa jam facio reliqua necessarii domicilii exempla, utpote de quibus abunde dictum, & de virgine

nubente, aut vidua ad secunda vota transeunte saltem mo-  
 neo, iis domicilium mutari per matrimonii consummationem,  
 sive benedictionem sacerdotalem, quæ facit ut statim  
 marito uxor cohabitare, eumque sequi teneatur *l. 1. ff. de  
 ritu nupt. l. un. C. de mulier. in quo loc. lib. X. CARPZ. ad  
 Proc. t. II. a. 1. n. 53.* ac vidua demum contractis nuptiis, ut  
 alia prioris mariti privilegia, ita jus domicilii amittit, *l. 22.  
 §. 1. ad municip. l. 13. C. de dignit. lib. XII. l. f. C. de incol.  
 Ea vero, quæ desponsata est, ait MODESTINVS, ante  
 contractas nuptias suum non mutat domicilium l. 32. ad mu-  
 nicip.* Sponsa enim nondum ad individuum vitæ confor-  
 tium est obligata, neque desponsatis ante benedictionem  
 sacerdotalem cohabitatio permittitur. vid. *CARPZ. F.  
 Confist. l. 2. def. 131. ZANGER. P. II. c. 1. n. 59. seq.*

### §. XIII.

Nunc de voluntaria domicilii mutatione agam. Ea  
 est actus, quo quis mutata priori de domicilio voluntate, ha-  
 bitationem alio in loco constituit hoc animo, ut inde rursus  
 non sit discessurus, si nihil avocet. Dixi actum, generali  
 verbo, quod de omni eo intelligitur, si quid agitur verbis  
 aut factis *l. 19. de V. S.* Mutatio prioris & novi domicilii  
 constituitur peragitur voluntate verbis, aut facto declarata,  
 accedente insuper habitatione. Libera voluntas eaque  
 mutata est causa mutati domicilii. Debet ergo de ea con-  
 stare, cum in foro & in negotiis civilibus humana voluntas  
 non spectetur, nisi quatenus ea signis externis verbis aut fa-  
 ctis prodita est. Citra mutationis indicia manifesta potius  
 eadem permanisse hominis voluntas, quam aliud propo-  
 situm elegisse præsumitur: atque ipsa hæc indicia debent  
 probari *l. 21. §. 22. de probat.* Ergo haudquaquam suffi-  
 ciunt ad evincendam domicilii translationem qualescun-  
 que præsumptiones, ut ex diuturna commoratione, itemque



ex translatione partis bonorum, vel rerum potiorum, jam ceteræ definitionis partes axiomata præstabunt, e quibus necessario nexu casus, quibus domicilium mutatum recte, quibus falso asseratur, deducam.

*§. 10. ff. de inut. stipulat.* XIV.

Mutatio domicilii contingit mutata circa habitationem voluntate, atque adeo requirit animum, deserta priori sede, alibi perpetuo consistendi, quæ res deliberationem & consilium requirit. Ergo quicumque ejus sunt incapaces, illi mutare domicilium impediuntur, ut infantes & infantia proximi, qui in his rebus nullum habent intellectum

*§. 10. ff. de inut. stipulat.* Retinent ergo domicilium originarium, sive domicilium patris PEREZ. *ad t. C. de incol. n. 10.* FRANTZK. *l. 1. ref. 16. n. 29. seqq.*

Furiis autem & mente captis s. dementibus domicilium novum statuenti facultas non est asserenda, cum & intellectus usu destituantur, & voluntas eorum nulla sit, *l. 5. l. 40. de R. J. l. 1.*

*§. 12. de O. & A.* qui ergo domicilium quod ante mentis alienationem habuerunt, semper retinent, *arg. l. 20. ff. de stat. hom.* LAVTERB. *d. l. n. 124. seqq.*

Neque distinctio locum habet inter furiosum & mente captum, quamvis hunc auctoritate SANDII *Lib. II. t. 1. dec. ult.* CHRISTIN. *Vol. III. Dec. 173. n. 10.* HELGII *Part. II. qu. 31. n. 28.* ad homines hebetioris ingenii vel imbecillioris judicii referendum quis putarit.

*conf. l. 6. C. de curat. furios.* Enimvero furiosi & mente capti s. dementes quoad rationis defectum & impeditam actus civiles suscipiendi facultatem ubique in jure exquantur, *l. 2. ff. de inoff. testam.* ubi furiosi pariterque dementes dicuntur *homines non sane mentis*, & in *l. 8.*

*§. 1. ff. de tut. & curat. dat.* Prætor vel Præses provinciæ in furore aut dementia constituti pari jure censentur. *Plane in l. 25. C. de nupt.* furiosos, dementes & mente captos à

JVSTI-

JVSTINIANO IMP. in eandem classẽm relatos videas. Sed d. l. 6. C. de cur. fur. tantum abest, ut mente captos à furiosis secernant, ut potius utrosque furiosorum nomine complecti videatur, & verbis: *qui in confinio furoris & sanæ mentis constituti sunt*, quæ vulgo pro definitione mente captorum circumferuntur, furiosos, *non in conspectu inumbatæ quietis*, ut CELSVS ait l. 18. ff. de acq. vel am. poss. sed in dilucidis intervallis constitutos describi, cuius legem inspicienti obvium est. Quod si tempore intermissionis morbi furiosus translationem domicilii decernat, atque postea ipse cum rebus suis alium in locum, ubi perpetuo commoretur, transferatur, muratum hoc modo à furioso domicilium recte iudicabitur l. 6. C. de curat. furios. sicut intermittente furore & alios actus civiles valide ab egeruntur l. 9. C. qui testam. fac. poss. §. 1. F. quibus non est perm. fac. testam. vid. LAVTERB. l. c. n. 125.

## §. XV.

Vix licet intactas relinquere quæstiones duas, unam de melancholico affectu & atra bile laborantibus, itemque simplicioribus & stupidis, utrum domicilium novum constituere valeant? alteram de furiosis & mente captis, an ex præsumta ipsorum voluntate aliorum facto iis domicilium mutari queat? Quod ad priorem attinet quæstionem, melancholici à mente captis eo secernuntur, quod usu rationis atque liberæ voluntatis, neque naturaliter, neque civiliter omnino destituantur, quippe mens intemperato mœrore, aut morbo gravata non omnẽ de rebus ac negotiis rectum iudicium adimit, experientiã satis superque teste, & suffragante Medicorum schola: ZACH. quæst. med. legal. L. II. T. I. 9. n. 25. seq. TEICHMEIER Inst. med. leg. p. 155. seq. Simpliciores porro ac stupidiores homines, *Einfeltige*, non sensu communi prorsus omni carent, aut pla-

plane nihil intelligunt, quod agant, verum imbecillioris solum iudicii sunt, atque indocilis ingenii, & ad res paulo majorem animi attentionem requirentes stupent, deque iis male arbitrantur, servilis velut animi, & magis ad servendum, quam ad regendum apti, nati. Vtriusque igitur generis hominibus non apparet, quare domicilium permu- tandi facultas deneganda sit, cum ea res non videatur esse magis ardua, quam ut ipsorum sensu dijudicari, atque inde aliquid libere decerni possit, & licet forsitan inepte parum- que prudenter circa electionem novæ habitationis sese sint gesturi, id tamen non perinde est, ac si omni humanæ rationis usu destituti, nihil eligere, aut velle possent. Alteram quaestionem suggerit STRVV. d. Ex. IX. §. 27. eandemque affirmando resolvit, de furioso statuens, si- quidem & ipse & ejus bona alium in locum, ut ibi perpetuo commoretur, transferantur videri illi re ipsa & facto aliud domicilium constitutum *arg. l. 46. de O. & A. l. 25. de fidej. l. 3. §. 3. de negot. gest.* Verum cum neque personæ, neque rerum translocatio sine accedente habitandi voluntate at- que commoratione actuali novum domicilium efficiat, neque ista voluntas præsumi possit, ubi lex eam non sup- ponit, maxime in eo, qui velle nequit, profecto nec inten- tione aliorum furiosum cum bonis suis transportantium, nec facto & re ipsa mutatio quadam produceretur. Argu- mentum autem legum, quas STRVVIVS in subsidium vocavit, nihil ad rem præsentem valere videtur, quippe quæ omnes de obligatione furiosi, intuitu rerum ejus ex æqui- tate naturali & juris præsumptione, sive ex facto quodam nata loquuntur.

§. XVI.

Mutata debet esse voluntas de loco domicilii & in- tentio, quæ prius erat, alicubi perpetuo subsistendi. Er-

C

go

go quotiescunque talis intentio minime subest, verum de alia mente se resque suas aliorum conferentis potius constat, non mutatum est domicilium. Hinc IMP. ALEXANDER l. 2. C. de incol. lib. X. rationes, quibus quis in loco aliquo moretur, inspiciendas monet. Conf. VVLTEJ. ad l. 2. C. ubi Senat. ME- NOCH. ad rubr. de foro comp. n. 12. STRVV. d. l. §. 25. LAVTERBACH. d. D. n. 94. Qua propter qui studiorum causa peregrinantur, etsi in conducto apud Academiam aliquam habitent, domicilium tamen in ea civitate posuisse non intelliguntur, quia non habent ibi fixam animo sedem fortunarum suarum, quin potius in studiis ideo versantur, ut apti ad genus aliquod vitæ, honori studiorum conveniens, quod in loco ad summam vitæ sedemque fortunarum suarum idoneo exercere queant, in Academia evadant; d. l. 2. C. de incol. Neque exceptio illa, quam ibi addit IMPERATOR: nisi decem annis transactis eo loco sedes sibi constituerunt, ita accipienda est, quasi solus temporis lapsus sufficiat, uti visum CVJACIO Lib. VII. Obs. 25. WESENBEC. in II. de judic. n. 7. & P. I. Conf. 13. n. 107. BRVNNEMANNO ad d. l. 2. C. COLERO Proc. exec. c. 1. P. II. n. 32. verum accedat oportet alia voluntatis studiosi declaratio, sese sedes in loco studii posuisse, uti docent OBRECHT. de jurisd. Lib. III. c. II. n. 17. FRANTZK. lib. 1. resol. 16. n. 21. seq. & 68. REBFFF. de privileg. studios. n. III. add. HVBER. Præleß. Jur. Civ. P. II. ad t. II. de judic. n. 44. Idem quoque pronuntiandum de iis, qui officii melius addiscendi causa domo abiere, atque alibi locorum aliquandiu subsistunt. Vnde cum de liberis subditorum in Lusatia superiori, qui ea ratione peregrinarentur, dubitatum esset, utrum obnoxii essent poenæ, in ORD. LVS. SVP. PROVINC. eis præ-

præstituta, die sich ohne der Herrschafft in andere Wege begeben, prævaluit negativa opinio, quia sanctio illa pœnalis agit tantum de his, qui eo animo, ut alibi sedem for-  
tunarum figant, abeunt, non qui revertendi animo retento, alibi morantur.

XVII.

Militi supra assertum fuit domicilium eo loco ubi meret, adjecta limitatione, quam ipsa *lex 23. ad municip. adhibet*; Si nihil in patria possideat. Quodsi enim bona in patria possideat, ac ibi rerum suarum constitutionem fecerit, non censentur in loco, ubi militat, domicilium habere: quia alius subesse videtur animus, nimirum ipsum militiae causa tantum ibi vivere: COLER. *de Proc. exec. P. II. c. 1. n. 34.* Idque confirmat Resp. Fac. Vitemb. datum mens. Dec. 1720. ubi in rationibus decidendi:

*Fedenoch aber mutatio domicilii nicht præsumiret wird, auch dabero, das einer in Krieges-Diensten stehe, nicht so fort mutatio domicilii zu erbarten*

B. D. HORN. *Class. 16. Sent. 41.*

j. DN. WERNHER. *Obs. for. P. VII. c. 148.*

Aliter judicandum erit, si miles nihil bonorum in domicilio originario habeat: quam in sententiam eadem Facultas respondit Mens. Dec. 1701. prout videre est apud Illustr. de BERGER. *Supplem. ad E. D. F. P. 1. tit. 45. p. 538.*

§. XVIII.

Haud dispar est causa Legatorum, Officialium Principis, & qui ei à Consiliis existunt, qui licet per decem aut plures annos in urbe quadam officii causa degant, attamen domicilium ibi minime contrahunt, quia non animo domicilium constituendi, sed officio persurgendi ibi vivunt, eoque finito inde iterum discessuri præsumuntur, ME-  
C 2 NOCH.

NOCH. *conf. 86. n. 8. conf. 129. n. 19.* PECK. *de Jurisdic. lib. IV. c. 35. n. 1. seq.* MEV. *ad J. Lubec. quest. prælim. 3. n. 33.* ZANGER. *de except. P. II. c. 1. n. 53.* STRYK. *de foro Ministri Princ. c. 2. §. 12. ff.* Ita responderunt Scabini Lipsi. a. 1639. teste CARPZ. *L. 6. resp. 38. n. 32.* Et Facultas Vitemb. a. 1697. verb. *Inmaßen denn die Rechte keinesweges davor halten, daß die Personen, sowegen angenommener Hof-Dienste in einen Lande oder Stadt sich, und zwar eine ziemliche Zeit, befinden, eben alsöfort deswegen ein domicilium daselbst constituiren wollen,* teste HORN. *el. II. resp. 26. p. 129.* Add. STRYK. *Uf. mod. Pand. ad municip. §. 10.* LYNCKER. *decif. 419. & decif. 1008.* Neque obstant *l. 23. pr. ad municip. l. 2. C. ubi Senat.* quarum illa negat municipem manere eum, qui senatoriam adeptus dignitatem, sed addita restrictione: *quantum ad munera:* hæc vero expresse loquitur de casu, ubi Senatores re ipsa Larem in aliquo loco constituerunt. *conf. DN. de BERGER. Oec. Jur. l. IV. t. 4. th. 1. n. 4.* Quodsi ergo fortiores conjecturæ se offerant, quæ animum domicilii contrahendi sufficientes evincant, tunc officiales in loco habitationis, puta in aula, domicilium, atque inde forum in iudicio Principis omnino fortiuntur, *arg. l. 2. C. de incol. ME-NOCH. de arbitr. Jud. qu. cas. 86. n. 28.* CARPZ. *in Proc. r. III. a. 1. n. 36. & lib. II. resp. 23. n. 10.* Ceterum facile apparet, dicta saltem ad officiales Principum pertinere illos, qui actu munere aulico funguntur, *als würckliche Rätbe und Bediente;* non item ad silentarios ac titulis tantum honoratos, aut qui expectativam habent, quosque vocant *Rätbe und Diener von Hauß aus;* qui citra controversiam ubi habitant, domicilio atque ordinaria loci jurisdictioni adstringuntur. STRYK. *Uf. mod. Pand. t. ad municip. §. 10. in fin.* MEV. *ad J. Lubec. P. I. t. 2. a. 2. n. 39.* **Quam**  
HOCH  
in

in rem Jcti Helmstadl a. 1719. responderunt: Und demnach berühmter Rechts-Lehrer Meynung dergleichen Bedienungen von Haus aus kein forum iudiciren &c. vid. DN. LEYSER. ad II. Specim. 80. medit. 6. Imo vero per capitulationes in Imperio nostro speciatim cautum est: Vt ne dignitas illi, qui in territorio status Imperii degit, ab Imperatore concessa, jus domicilii muret. vid. CAP. LEOP. art. 44. & noviss. CAPIT. CAROL. art. 22. Simili ratione qui negotiationis causa certo quodam in loco commoratur, aut mercator, qui alicubi tabernam, pergulam vel officinam conduxit, ut aliquantum temporis ibi subsistere, merces venum exponere & distrahere possit, statim domicilium ibi habere dici non potest, ut diserte ponit VLPIANVS in l. 19. §. 2. de judic. vid. OBRECHT. de Jurisd. d. l. n. 16. BRVNNEM. ad l. 2. C. de incol. n. 4. STRVV. d. ex. 9. n. 25. Præjudicium Jctorum Jenensium exhibet DN. de LYNCKER. dec. 1201. Sed si ad negotiationem accedat frequens & assidua certo in loco conversatio, contrahetur domicilium, & si quis eo modo pluribus locis ex aequo versetur, aut alibi negotiando subsistat, alibi bona possideat, is pluribus locis domicilium habebit, l. 5. ad municip. l. 2. C. ubi Senat. vid. ZANGER. de Except. P. II. c. 1. n. 34. sqq.

§. XIX. Si quis prædium, aut villam, aut cauponam certum ad tempus, idque fortasse paucorum annorum, conduxerit, quæratur, siquidem in prædium, aut cauponam conductam sese contulerit, quod certe non tam habitandi, quam usum rei locata, fructum & lucrum percipiendi, reique colendæ animo fecisse merito iudicatur. Dicendum igitur solam conductionem ejusque intuitu institutam aliquo loco ad tempus habitationem, nequam sufficere. Quapropter de

de liberis rusticorum ORD. POL. EL. de a. 1661. t. 23. c. 3.  
 §. 5. sanxit, ut illi domicilium, quod vel tanquam filii sui  
 apud parentes habeant, vel sui juris facti, semel aliquo loco  
 constituerint, semper retineant, etiamsi alibi vel operas suas  
 locaverint, vel prædium aut villam conduxerint.

## §. XX.

Qui necessitate aliqua coactus aliquandiu in loco ha-  
 bitare non potest, atque alia in civitate per id temporis sub-  
 sistit, domicilium non mutat, sed ei potius domicilium se-  
 mel constitutum conservat animus illud retinendi. l. 7. C.  
 de incol. l. 1. §. 1. de agnosc. vel al. lib. l. 22. §. 6. ad municip.  
 PAVL de CASTRO in l. 2. §. legatis, de judic. n. 10.  
 MEV. ad F. Lubec. P. I. t. 2. a. 2. n. 43. f. Ergo quicumque  
 ob grassantem pestem, vel propter belli pericula, vel pro-  
 pter metum carceris & violentiæ, aut injuriæ rebus suis im-  
 minentis res familiamque suam alio transportat, nihilomi-  
 nus domicilium in loco, unde abiit, retinet, modo animum  
 habeat revertendi. Videtur enim inde profectus saltem  
 peregrinari, ac si redierit, peregrinari destitisse, d. l. 7. C. de  
 Incol. Idemque judicandum de eo, qui morbo perpetuo,  
 aut pervicacior laborans sese cum suis in locum contulit,  
 ubi sub inelyti alicujus medici cura vel per annos aliquot  
 decumbit, aut commoratur. Nam & hunc necessitas de-  
 tinet, & ipsi potius in votis est, ut integræ valetudini resti-  
 tutus, ad Lares quam primum redire possit, quam ut eos-  
 dem deserat. Alia subest ratio, si quis medicorum suavis-  
 propter offensionem aëris loca salubriora & cœlum magis  
 amicum quærens prorsus emigret non rediturus.

## §. XXI.

Carcer non est domicilium, quamvis olim crudelis  
 ille APPIVS Decemvir carcerem a se constitutum domi-  
 cilium plebis Romanæ appellare sit solitus. LIV. III. c. 57.  
 Car-



Carcer enim habetur ad continendos homines noxios *l. 3. §. 9. ff. de pœn.* eosque invitos coërcet in mala mansione. Cum tamen hodierno jure, non solius custodiæ causa, uti secundum jus Romanum *d. l. 3. §. 9.* verum & in pœnam homines in carcerem includantur, quarere licet, utrum carcer domicilium mutet, maxime si quis in carcerem perpetuum, in ergasterium aut in opus fortalitiæ ob æs alienum contractum aut ob alia delicta condemnatus & detrusus fuerit? Certissimum argumentum negativæ sententiæ præbet *l. 27. §. 3. ad municip.* ubi relegatus dicitur adhuc domicilium habere eo loci, unde arcetur, quia revertendi animum & spem fovet. Equidem id minime procedere in relegatis in perpetuum existimavit olim AZO in *summ. C. de incol. n. 6. in fin.* unde videri queat, certe in carcerem perpetuum inclusos eadem ratione privari omnino priore domicilio. Sed & hi animum revertendi, restitutionem gratiæ forte sperantes possunt habere, & licet quoad effectus in ipsorum personam redundantes domicilio ejusque jure prorsus exciderint, attamen uxoribus eorum salvum manet domicilium mariti, quod hæc nec per mortem ejus naturalem amittunt, ac in rebus ipsorum mobilibus successio secundum jura domiciliæ, unde per carcerem abstracti sunt atque detinentur, dubio procul obtinebit: quippe novum domicilium non sunt indepti, atque adeo ejusdem mutatio intercessisse dici æque non potest; quoties vero de mutatione haud constat, prius mansisse domicilium præsumitur, *arg. l. 22. ff. de probat. l. 11. fin. regund. GAIL 11. Obs. 1. n. 10. ff. STRVV. d. Ex. 9. §. 32. LAVTERB. l. c. n. 243. ff.*

§. XXII.

Solent & innoxii custodiæ ergo quandoque alium in locum transferri, variis causis. Ita fit cum furiosis & men-

te

te captis, imo etiam cum melancholicis, qui cognatorum aut magistratus cura, publica privatave, in nosocomium dantur, ne, si libertati prorsus sibi que ipsis permitterentur, damnum faciant, aut violentas manus sibi aliisque inferant. His eo facto conciliari novum domicilium supra §. XVI. negavi, idque casus practicus infra recensendus ulterius illustrabit. Sed & qui integræ sunt mentis, verum ita luxuriosi & in omnem libidinem ac petulantiam proni effusque moribus adolescentes haud raro à parentibus in ergasterium publicum aut in castellum, & custodia & disciplina ibi committuntur, quibus neque ipsorum, neque parentum intentione domicilium mutari palam est, quippe non alio fine in istiusmodi loca transferri solent, quam ut emendati domum recipiantur. Ita contingit, ut virgo invita à raptore abducta, sed libidini ejus iterum subducta, dum similis periculi probabilis metus est, tutiorem in locum aliorum translata instar depositi miserabilis concedatur laribus domus honestæ. Et notum est *exc. 14. X. de sponsal.* Sequestrum puellæ, quam duo ambiunt, & uterque matrimonium sibi ab ea promissum prætendunt, quæ, donec lis finita, alio loco apud matronam honestam deponi potest. Neutro casu novum inducitur domicilium, etiamsi res ad quotidianum virginis usum, ornatum mundumve eo sint transvectæ, quia nihil habitationem mutandi animo factum.

### §. XXIII.

Habitatio constituitur alio & novo in loco, quando mutatur domicilium: id vero cum obligationem constituentis inducat, neque sine translatione rerum omnino fieri possit, sequitur, ut quicumque soli se aliis efficaciter obligare nequeunt, aut qui administrationem rerum suarum liberam non habent, domicilium haudquaquam mutare possint

fiat. Ergo pupilli pubertati proximi, quamvis aliquem intellectum habere incipiant, dictis tamen causis, sine tutorum auctoritate novum contrahere nequeunt domicilium. FRANTZK. l. 1. ref. 17. n. 3. seq. PEREZ. ad t. C. de incol. n. 20. Eadem ratio est minorum curatores habentium, arg. l. 3. C. de integr. rest. maxime secundum jus hodiernum Germaniæ, REC. IMP. de a. 1548. § 1577. t. von den Pupillen und Minderjährigen &c. Item prodigi decreto magistratus declarati sine consensu curatoris sui, ut de bonis suis nihil valide disponere, aut se obligare, ita nec domicilium mutare possunt, ut vel hoc intuitu etiam furiosis æquiparentur. arg. l. 6. ff. de V. O. l. 40. de R. F. l. 70. §. 4. de fidejuss. id quod tamen poterunt consensu curatoris, quo accedente omnia recte gerunt l. 5. de R. F. l. 5. §. 1. ff. de acqu. hered. Sed in pupillo ne quidem tutoris sufficit auctoritas, verum opus est decreto magistratus, cujus est statuere, ubi pupillus educari, vel morari debeat, l. 1. ff. l. 2. C. ubi pup. educ. vel mor.

§. XXIV.

Mutatio domicilii est actus, quo quis mutata de priori domicilio voluntate novum constituit, vid. §. XIV. Opus igitur est declaratione mutatae voluntatis & actu, qui aut verbis, aut factis perficiatur arg. l. 19. de V. S. FRANTZK. l. 1. ref. 16. n. 15. Expresse verbis, aut literis facta declaratione quis profitetur, se in civitatem aliquam, vel regionem ea intentione habitatum venisse, ut ibi perpetuo commoretur l. 27. §. 1. ad municip. quo casu, quam primum actualis habitatio accesserit, deserto priore loco, statim novum eo momento domicilium censetur constitutum CARPZ. l. 11. Resp. 21. n. 15. etiam si summa rerum nondum sit eodem translata. MEV. ad F. Lub. l. 1. t. 2. n. 28. ZANGER de Except. P. II. c. 1. n. 14. MENOCH. de arb. jud. quæst.

D

l. 2.

*l. 2. cent. 1. cas. 36. n. 2.* GAIL. *lib. II. obs. 35. n. 7.* Ei declarationi expressæ merito aequipollere judicatur illa, si quis in civitate aliqua jus civitatis impetraverit, atque ibidem habitare coeperit, quod utrumque requiritur, nec sola animo contestatio, aut impetratio juris civitatis ad inducendam mutationem sufficit. *l. 20. ad municip. l. 27. §. 2. eod.* vid. ZANG. *de Except. d. l. n. 54.* MASCARD. *de Probat. concl. 335. n. 4.* CARPZ. *l. 2. resp. 24. n. 17.* STEPHAN. *de Jurisd. l. 1. c. 28. n. 60.* LEYSER. *ad II. spec. 79. med. 4.* ibidemque præjudicium.

## §. XXV.

Quodsi nulla intercesserit expressa declaratio, respiciendum est ad facta, quæ tum demum domicilii mutationem probant, cum nihil aliud, quam eandem manifesto præferunt. Atque fere eadem id præstant facta, e quibus constitutio domicilii colligitur, & quæ GAIL. *d. obs. 35. §. 36.* COLER. *d. proc. exec. P. II. c. 1.* DONELL. *comm. J. C. l. 1. c. 12.* MEV. *dec. P. III. 2. n. 57. ff.* CARPZ. *de proc. 1. 3. q. 1. n. 17. ff.* STRVV. *d. ex. 9. §. 25. ff.* LAVTERB. *l. c. n. 108. seqq.* late recensuerunt. Id facile patet, neque solam commorationem, neque administrationem rerum alio loco constitutam, neque solam rerum potiorum translationem ad demonstrandam domicilii mutationem sufficere, quoniam singula alio atque alio fine facta esse queunt. Vidimus in variis personis varias causas diuturnæ ac perpetuæ per annos plures habitationis aliquo loco institutæ, ita, ut nec domicilium inde contrahatur. Quare nec illud certius est mutationis indicium, quando quis alio loco ita agere coepit, ut ibi ignem & focum habeat, *dafs er Feuer und Heerd halte*, quod humaniorum expertes putarunt respondere ei, quod IMPP. *in l. 2. C. ubi Senat. dicunt,*

Larem

*Larem fovere.* Nam & illi ipsi, qui ad certum tempus singulari causa alicubi in conducto habitant, focum atque ignem habent, nec tamen contraxisse domicilium censerentur. vid. ZANGER *de exc. d. l. n. 18. ff.* FRANTZK. *d. ref. 16. n. 20.* An vero decennii lapsus fortassis aliquid efficiet argumento *l. 2. C. de incol.* puta, si quis per tantum tempus assidue & frequenter alicubi sit versatus? Ita existimaverunt COTHMAN. *Vol. 1. resp. 21. n. 64.* WVRMSER. *exerc. 4. qu. 10. p. 152.* MASCARD. *de Probat. concl. 535. n. 7.* ibique citati plures. Melius ZANGER. *l. c. n. 53.* & recentiores negativam tuentur, monentque, & legem deficere & solidum istius præsumtionis fundamentum. Unde sæpius responsum: *Dass die Doctrin, so ratione decennii angeführet, auf einer blossen und noch vielen Zweifel unterworfenen præsumtion sich gründet, und durch andere Muthmaßungen leicht aus dem Wege geräumt werden könne &c.* vid. DN. HORN. *cl. 11. resp. 26. p. 129.* DN. WERNHER. *P. VII. obs. 148.* DN. LEYSER. *Spec. ad II. 72. medit. 4.*

§. XXVI.

Porro administratio bonorum aliorum collata, bonave alio loco comparata, aut translata non mutant domicilium. Neque enim agnoscere possumus illud, quod SCHILTERVS, tantopere defendit, domicilium bonorum; quo de supra jam mentio facta. Clare in *l. 4. C. de incol. §. in l. 17. §. 13. ad municip.* negatur possessio domus, aut bonorum in aliqua civitate incolam efficere. vid. CVJAC. *lib. XIV. obs. 12.* Et observatione dignum est, qua ratione domus & domicilium apud Auctores æque Latinos, atque in jure Romano distinguantur. Nimirum domus aliquando poni solet pro domicilio & habitatione ut in *l. 5. §. 2. ff. de injur. l. 8. §. 1. ad L. Jul. de Adult. l. 23.*



§. 3. eod. l. 1. §. 2. de aleator. l. 203. de V. S. nunquam vero domicilium pro domo, s. ædibus dici consuevit, manifesto indicio, domum non facere, ut quis & domicilium habeat, ubi illam possidet. Quin domus esse potest sine domicilio, & domicilium sine domo. Illud evincunt d. l. 4. C. de incol. §. l. 17. §. 13. ad municip. hoc dilucet ex l. 5. §. 2. de injur. ubi domus i. e. domicilium esse dicitur, etiam si quis in conducto vel gratis in alieno, habitet. Eleganter PLAVTVS sejungit domum & domicilium, Mercatore:

*Ostium hoc mihi domicilium est, Athenis domus.*

Et apud MARTIALEM acris extrat lusus in *Maximum lib. VII. epigr. 73.* quem tres pluresque domos possidere, nulli tamen domicilium habere, arguit:

*Esquiliis domus est, domus est tibi colle Diane,*

*Et tua Patritius culmina vicus habet:*

*Hinc Viduæ Cybeles, illinc sacraria Vestæ;*

*Inde Novum, Vererem prospicis inde Jovem.*

*Dic, ubi conveniam: dic, qua te parte requiram?*

*Quisquis ubique habitat, Maxime, nusquam habitat.*

Quod vero ad SCHILTERI distinctionem attinet, cum habitationem ait vel in actu primo spectandam esse, vel in actu secundo, ad eam jam respondit DN. THOMAS. d. Diff. cap. 1. §. 10. ff. urgens, neque a potentia ad actum argumentum procedere, neque habitationem de potentia habitandi uspiam in jure accipi, neque sequi, ut, quia nemo suum jactare præsumitur, ibi domicilium quisque habere velit, ubi bona tenet, quæ etiam per procuratorem custodiri possunt, neque dari legem, quæ talem voluntatem fingat, neque demum verum esse, quod quis in actionibus mere personalibus ibi regulariter conveniri queat, ubi majorem bonorum partem habeat, licet alio loco domicilium constituisset.

§. XXVII.

§. XXXVII. Ergo cum singula illa facta ad indicandam domicilii translationem ita comparata esse debeant, ut animi destinationem indubie praeferant, necesse est, ut rerum administratio cum assidua commoratione juncta sit, aut ut hæc translatis rebus vel comparatis alio loco bonis sequatur. Ita in *l. 2. C. ubi Senat.* IMPERATORES domicilium senatoribus tribuunt, *in provinciis, ubi larem, aut ubi majorem bonorum partem possident, & ubi assidue versantur;* Ac in *l. 7. C. de incol.* volunt, *ut singuli domicilium eo in loco habeant, ubi quis larem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit.* Utraque lex bonorum in loco possessionem & commorationem assiduam, sive habitationem requirit. Nec est cur vim inferamus textui & in *d. l. 2. ubi Senat.* legamus: *aut ubi assidue versantur,* quod placet MENOCHIO *de A. F. q. 9. lib. II. cent. 1. cas. 86. n. 12.* & ZANGERO *de except. P. II. c. 1. n. 36. ff.* cui lectioni etiam repugnat adducta *l. 7. C. de incol.* ubi habitatio & rerum constitutio conjunctim exiguntur. Inde illud cum LAVTERB. *l. c. n. 108.* ZANGER. *d. l. n. 30.* STRVV. *d. ex. 9. §. 31.* fortissimum domicilii mutati indicium non possum non reputare, si quis venditis, quas alibi possidebat rebus suis cum uxore & familia in aliquem locum migret, ibidem subsistat, plenariam rei domesticæ administrationem instituat, & ea faciat, quæ ejus loci incolæ facere solent, *arg. l. 27. §. 1. admunicip. l. 203. de V. S.* Ei pristinum domicilium semel relictum non conservatur per frequentia antiquam sedem itinera, quæ tali casu ad demonstrandum prius domicilium retinendi animum nihil proficiunt. Constituto enim alicubi domicilio, si quis inde proficiscitur, peregrinari saltem videtur. *l. 7. C. de incol.* atque ita responderunt JCI Helmstadienses Mens. Octobr.



1717. teste D N. LEYSERO *ad* II. *spec.* 72. *me-*  
*dit.* 3. ob nuptias sibi h. sibi sibi aliquis suo cogit  
 - nuptias in h. s. §. XXIX. morbi memoriam  
 - sibi Coniungim quidem adsunt ista, e quibus mutatio do-  
 micilii dilucet, facta, quando maritus, quod nonnunquam  
 accidit, post nuptias celebratas domum & bona uxoris in-  
 trat, quod vulgo dicunt: *Wenn der Mann zum Weib ein-*  
*freyet*: ac proinde maritus eo casu mutat omnino domici-  
 lium. Sed non item recte asseritur à ZANGERO *d. l. n.*  
*65.* eundem hoc pacto ita mutare domicilium, ut sequatur  
 domicilium uxoris, quæ ipsum ad se in larem suum trahat,  
 quippe quod tali viro optime conveniat, quod apud  
 PLAVTVM Demenæus senex ait in *Astnariæ* *monoi*  
*Argentum accepi, dote imperium vendidi.* *anupet*  
 Quamvis enim uxor tum retineat prius domicilium, ipsa  
 nihilo tamen secius mariti domicilium sequitur, qui factis  
 & voluntate sua apud uxorem domicilium constituit. *vid.*  
 HILLIG. *ad Donell. lib. 17. comm. 12. lit. L.* atque perinde  
 ut alii mariti caput est uxoris & familiae totius, non obstan-  
 te pacto, quo in conjugis domum ire promisit. Quod si  
 pactum illud contineat abdicationem imperii & directio-  
 nis, maritis in uxores jure Divino atque humano civili  
 competentis, pactum illud non attendendum sed potius  
 tanquam bonis moribus contrarium improbandum. *l. 4. §. 1.*  
*ff. solut. matrim. l. 7. §. 16. l. 38. ff. de pact. l. 15. ff. de cond. In-*  
*stit. MVLLER. de fribusculo c. 2. rh. 6. STEIN. de conjug.*  
*mar. paup. cum sem. locuplet. §. 27.* nec potest effectum il-  
 lum, ut turbato quasi societatis conjugalis ordine, vir uxori-  
 ris domicilium civilitatione sequatur, producere. Quid?  
 quod expresse dicitur, maritus dicto casu novum sibi domici-  
 lium constituere in *l. 5. C. de incol. lib. X.* & eventus id ma-  
 nifesto confirmat. Etenim si maritus sequeretur tantum  
 uxori-



uxoris domicilium, non opus haberet jus civitatis acquire-  
re eo loci, nec ea, quæ à civibus novellis præstari soleat,  
præstare teneretur; vid. DN. LEYSER. *ad II. d. spec. 172.*  
*coroll. 3.*

§. XXIX. Mutatio domicilii est facti, & sine mutatione voluntatis non contingit; Is vero, qui voluntatem mutatam dicit, probare hoc debet *l. 22. ff. de probat.* vel ex declaratione expressa desuper facta, vel ex factis & signis manifestis *l. 2. l. 5. ff. de probat.* conf. CARPZ. *lib. 6. Resp. 40. n. 17.* ZANGER. *P. II. c. 1. n. 10.* LAVTERB. *d. D. n. 245.* idque eo magis, quod ea quæ naturaliter insunt, & talia manent, etiam si aliquando murata videantur, quia tunc accidens & mutatio naturæ contraria removet effectum præsumtionis naturæ. MARC. ANTON. SABELLI *summ. divers. tract. lit. M. §. mutatio 36. n. 6.* Fitque inde, ut pro causarum diversitate probandi necessitas modo actori, modo incumbat reo. Cum in suo quilibet reus conveniri debeat foro, quoties quis in foro domicilii personali actione pulsatur, exceptionem fori declinatoriam opponit, mutatum ajens esse domicilium, atque adeo forum, quod ex illo competens fuisset, is ad probationem factæ mutationis adstringitur. ZANGER. *d. l. n. 10.* FRANTZK. *ref. l. 16. n. 19.* Idemque onus incumbit reo, de oneribus, tributis, censibus, collectis ex incolatu præstandis, convento sese alibi incolarum esse indeptum, objicienti, item si quis eadem causa munus publicum, v. c. tutelam, declinare intendat. Et cum in genere reus excipiendi fiat actor. *l. 1. de except. res ipsa loquitur*, quoties à mutatione domicilii petitur exceptio, illam probandam esse. Actor probabit translationem domicilii in actione civitatis utili, sive incolatus, eaque contraria negativa, quæ adversus magistratum insti-

instituitur, qui translato jam domicilio aliquem pro incola habet, eumque ut subditum & jurisdictioni & muneribus publicis, secundum *l. 29. ff. ad municip.* obstringere intendit. Potissimum vero atque frequentius probationem injungi animadvertimus actori, qui successionem sive jure universali, sive singulari ex jure statuario petit loci, in quem defunctus domicilium transfulerit.

## §. XXX.

Tantum enim interest, certo constare de domicilii mutatione, ut inde competentia fori, munerum & onerum publicorum præstatio, jus successionis ex testamento & ab intestato, qui mutati domicilii effectus eminent inter ceteros, toties pendeant, atque necessario dijudicentur, ut jam de conditionibus taceam, quæ in casum domicilii mutati & actibus inter vivos & ultimis voluntatibus vario modo constitui, adjicive possunt ac solent. Ex constitutione novi domicilii, deserto priore, alio in loco oritur incolatus. *l. 20. l. 35. l. 37. ff. ad municip. l. 1. §. l. 7. C. de incol.* quem statum supra definivi. Incolatus vero complectitur subjectionem *l. 29. ff. ad municip.* Hinc necessitas parendi legibus & utendi jure novi domicilii, unde illi, quos memoravi, & qui dantur reliqui effectus sponte fluunt. Scilicet inde novum contrahitur forum domicilii generale, atque omnibus causis tractandis idoneum *l. f. C. ubi in rem act. c. 17. X. de foro comp. l. 19. §. f. de judic.* à quo privilegium solum eximit personas forum singulare agnoscentes. Atque hinc mutato prioris domicilii foro datur exceptio incompetentiæ, si quis in illo conveniatur, vid. ZANGER. *l. c. n. 66. seqq.* quæ tamen frustra objicitur, si reus post litem jam motam transulerit domicilium *l. 7. ff. de judic. l. f. §. 1. C. de injus voc.* RIVIN. *Except. forens. c. 2. n. 17.* Et quod ad causas ecclesiasticas attinet, mutatum domicilium uti  
juris-

jurisdictionem ecclesiasticam mutat, ita facit mutantem Parochia, quæ in novi domicilii loco est, Parochianum *c. f. X. de Paroch.* eumque ad percipienda ibi sacra & ad onera parochialia subeunda obligat: conf. DN. BOEHMER. *jur. paroch. Sect. III. c. 2. §. 14. ff.* amissoque simul jure parochiali prioris domicilii, varia jura solent amitti, & in specie subsellia ecclesiastica, **DECRET. SYNOD. §. Wenn sich auch** *Et c. verb. durch Absterben und Abzug.* PHILIPP. *de Subsell. templor. c. 5. §. 2.* Obligatio vero ad munera & onera publica eaque personalia uti sublato priore domicilio ibi loci extinguitur. *l. 1. C. de incol.* ita in novo domicilio incipit ultro, jure incolatus *l. 5. C. eod.* quo respectu non differunt cives & incolæ, sed justissima causa onera civitatis æqualiter subire debent, qui communi civitatis tutela perfruuntur. *l. 29. ff. ad municip.*

§. XXXI.

Frequenter & acrius disceptari solet de domicilii mutatione in causis successionum ex testamento & ab intestato. Cum enim jura statuarum certorum locorum haud raro circa ultimas voluntates singularia quædam disponant, atque a jure communi recedant, comp. B. STRYK. *de Caut. test. c. 1. §. 12.* facile suprema dispositio alicujus defuncti in discrimen adducitur, si de ejus domicilio res non adeo sit expedita. Ab intestato autem successionem secundum jura domicilii, quod defunctus habuit, in bonis mobilibus fieri debere extra controversiam est, propterea quod mobilia personam sequuntur, & ejus velut ossibus inhaerent, GAIL. *lib. II. O. 124. n. 18.* CARPZ. *Furispr. Consist. Lib. III. def. 8.* MEV. *ad F. Lubec. P. II. t. 2. a. 110. n. 22.* Persona vero illis se submitit statutis, ubi domicilium constituit, a SANDE *Dec. Fris. L. IV. t. 8. def. 7.* etiam si non obtinuerit jus civitatis *l. 7. C. de incol. junct.*

E

*l. 29.*

*l. 29. ff. ad municip.* Neque forum privilegiatum hic quicquam facit, sed cum jurisdictio ad personam v. c. clericorum adstricta, bona non afficiat, in ejus generis personarum bonis mobilibus itidem secundum jura domicilii succeditur. Nob. DN. de BERGER. *Suppl. ad E. D. F. P. l. 1. 45. Suppl. 6. p. 535.* Et quidem attenditur domicilium quod defunctus habuit, cum diem obiret supremum RICHTER *de success. ab intest. Proem. n. 27.* unde si mutatum dicatur ejus domicilium fuisse, ea ex actibus & indiciiis jam abunde expositis demonstranda est, alias locus mortis, etiam si in eo defunctus per aliquod temporis spatium commemoratus fuerit, plane nullum successioneis jus dabit, verum secundum jura domicilii ejus, quo de constat, hereditas pariter ac res quæ jure singulari deferuntur, puta expeditoria & geradica, capientur: v. RICHTER. *d. l. n. 19.* STRYK *de success. ab intest. Diff. 1. c. 4. §. 3.* DN. de BERGER *d. l. p. 538.*  
§. XXXII.

Et disceptata est talis, in causa successioneis ab intestato, de domicilii mutatione controversia anno superiore, coram Ampl. Urbis hujus Senatu, quæ recensenda. Lipsiensis quidam adolescens Lucius, aliquot ante annos pro mente capto habebatur, atque ea de causa curatorem a Magistratu acceperat, postea vero, cum in matrem sororemque atrocem ac violentum se gessisset, harum cura in ergasterium quod Brunsvigæ est, custodia causa translatus erat. Ibi per 12. annos detentus, ipse, anno superiore in eodem ergasterio decesserat, relinquens in Saxoniam Electorali sorores superstites & sororum pramortuarum liberos. Excitata super successione in bonis defuncti, quæ in mobilibus consistebant, lite a sororum pramortuarum liberis, qui successioneis intendebant fieri debere secundum statuta Brunsvicensia, quæ *Tit. 18. §. 4.* juri representationis inter collaterales locum  
cum

cum reliquunt; quia in successione mobilium spectandum sit jus, quod obtinet in domicilio defuncti, is vero domicilium mutaverit, atque Brunsvigæ, contracto ibi domicilio, decesserit: ita sese una cum defuncti sororibus in stirpes admittendos urgebant, haud parum freti responso JCtorum Vitenbergensium, quod dissimulatis veris circumstantiis M. Mart. 1725. impetraverant. Cum igitur sorores superstites, exclusis defunctorum liberis, jure Saxonum successura, exciperent, Lucium eam mentis alienationem passum, ut & curator ei tanquam dementi constitutus, & ipse in ergasterium Brunsvicense datus fuerit, non potuisse mutare domicilium propter defectum iudicii & voluntatis, neque id ipsi ex translatione in dictum ergasterium facto alieno, aut intentione matris ac sororis, saltem custodiam defuncti procurantium obtigisse, adeoque retento domicilio, quod defunctus habuerat Lipsiæ, ubi & bona eius sub administratione curatoris remanserant successorem secundum jura Saxonica fieri oportere, sororum liberis frustra de mentis alienatione a defuncto removenda, ac de probatione factæ mutationis domicilii laborantibus, demum sorores secundum jura Saxonum favorabile responsum a Facultate Jurid. Lips. Mens. Mart. 1725. impetrarunt, quod integrum apponi meretur:

*Ist Lucius eine ledige Manns-Person zu Leipzig vor einigen Jahren in solchen Zustand gerathen, daß er vorwahnwitzig geachtet worden, weswegen auch die Vormundschafts-Stube zu Leipzig, zu Administration seines Vermögens ihm einen Curatorem bestätiget, hernach als Lucius sich sehr übel gegen seine Mütter und Schwester bezeiget, haben sie ihn zur Sicherheit in das Zucht-Haus nach Braunschweig in Verwahrung bringen lassen, da er auch 12. Jahr gewesen, und nunmehr vor kurtzer*

E. 2

Zeit mit Hinterlassung dreyer leibl. Schwestern, und von  
 ilizwo vorher verstorbenen Schwester-Kindern, mit Tode  
 abgegangen, dānnenhero fället Zweifel vor: Ob die  
 letztern mit denen erstern zugleich zur Succession ge-  
 lassen werden sollen.

Ob nun wohl die Verlassenschafft in Mobilien be-  
 stehet, dabero der Schwester Kinder in denen Gedan-  
 cken sind, daß die Succession nach denen Braun-  
 schweigischen Statuten, allwo das Jus representat-  
 ionis statt findet, und Lucius gestorben, eingerich-  
 tet werden müsse. Dennoch aber und die weil bey der  
 Successione Mobilium nicht so schlechterdings auf den  
 Ort, da der Erblasser mit Tode abgegangen, zu sehen,  
 sondern darbey vornehmlich zu consideriren, ob derselbe  
 daselbst würcklich sich niedergelassen, welches von Lucio  
 nicht gesagt werden kan, immassen er nur zur Verwah-  
 rung nach Braunschweig gebracht worden, welches mu-  
 tationem domicilii nicht nach sich ziehet, da denn auch  
 denen Schwester-Kindern zuwider ist, daß er sein Vermö-  
 gen nicht mit sich genommen, vielmehr dasselbe der Cu-  
 rator an seiner statt in Leipzig administriret, demnach  
 auf die Braunschweigische Rechte nicht zu sehen

So werden die Schwester-Kinder von denen noch leben-  
 den leiblichen Schwestern vermöge derer Sächsischen  
 Rechte billig ausgeschloffen.

Imo postea, lite peracta, actis in Scabinatum Lipsiensem  
 transmissis Mensē Novembr. 1725. sententia secuta hunc  
 in modum:

Daß Klägers Suchen nicht statt hat, beyderseits aufge-  
 wandte Unkosten aber aus bewegenden Ursachen gegen  
 einander zu compensiren und aufzuheben.

Subjunctis rationibus decidendi

Die weil der in Braunschweig im Zucht-Hause verstorbe-  
 ne

ne Lucius nach Klägers eigenen Klage, und denen von ihm producirten Attestaten fol. 11. und 13. bloß custodia daselbsten als ein Blöder, und der sich an seine Mutter jx. fol. 75. seq. ad art. 9. seq. heftig vergangen, enthalten worden, nicht aber aus eigener Bewegniß seine wesentliche Wohnung daselbsten angestellet, zu dem ihm allhier bey der Vormundschaft-Stube Act. No. 2. fol. 107. ein absonderlicher Curator bestellet, auch zugleich sein Vermögen administrirret worden, folglich er das hiesige domicilium nicht verändert, und dabero die Successio nach denen Rechten dieses Orts anzutreten, nach wvellen aber Beklagte als des verstorbenen Lucii Geschwister derer Klägere Kinder ausschließen: So ist von uns gesprochener massen billig erkannt.

Interposita quidem Leuteratione actores fundamentum intentionis suæ tueri conabantur, atque ad ordinariam probationem admitti petebant, mox vero facta renunciatione sententiam transire passi sunt in rem judicatam.

§. XXXIII.

Quadrat huc egregie responsum laudatæ Fac. Jurid. M. Aug. 1717. ad consultationem Salomon Friedrich Bergmanns versus Lipsiam datum, quod cum non sit in omnium manibus Lectori Benevolo communicabo:

Ist vor geraumer Zeit allhier in Leipzig ein Bürger und Gastwirth zum güldenen Einhorn, Elias Seeliger, Todes verfabren, und hat seine Wittbe, Dorotheen, gebobrne Krellin, und 5 Kindern, als Annen Magdalenen Richterin, Caspar Christophen, Gottfried Andresen und Johann Friedrichen die Seeliger, so wohl Marien Dorotheen Lenckin nach sich verlassen, darauf die Wittbe gleichfals verstorben, weilm nun Caspar Christoph abwesend sich befinden, ist der Riemer Melchior Blasius ihm zum Curatorn bestätiget worden, auch nach dem mütterlichen

Testament seines Curandi Erbschafts Portion zu sich genommen, und solche administrirer. Nachdem nun sich geäußert, daß Caspar Christoph Seeliger in Sr. Czarischen Maj. Krieges-Dienste gekommen, und dessen Ingenier-Capitain gewesen, welcher auch kurtz nach der Mutter mit Tode abgegangen, und seine Wittbe Catharinen Elisabeth Seeligerin, auch zwei Töchter Dorotheen Christinen hinterlassen, und als diese aus Moskau Johann Friedrichen von Sand Vollmacht überschicket, und von Blasio die Mütterliche und Großmütterliche Erbschaft verlangen, haben sich des verstorbenen Capitains Geschwister alhier wieder Blasio geserzet, und die Erbschaft als nechste Freunde ab intestato gesucht, deswegen auch mit des Blasio Actore verfahren, und das Urtheil sub no. 2. erhalten, so wohl des Capitain Seeliger Töchter Männer Falbiger und Fabricius sich moviret und bey dem Rathe zu Leipzig, daß der verwittbereten Capitainin am Erbe nichts verahfolget werden möchre, gesucht, demnach wollet ihr ob des verstorbenen Capitains Seeligers Erbschaft unter Wittbe und Kinder nach denen Kayserlichen Civil-Rechten oder denen Leipzigerischen Statutis vertheilet und der Wittben tertia pars hereditatis quoad proprietatem abgefolget werden müßte, des Rechten berichtet seyn.

Ob nun wohl einem jeden das forum domicilii zu ändern, und das forum habitationis, wo ihm beliebet, zu constituiren nachgelassen

hodie enim consuetudine germaniæ universali alibi domicilium constituens neque quoad honores & munera, neque quoad jurisdictionem jus originis retinet  
GAIL. 2. Obf. 36. n. 7.

BAVERMEISTER lib. 2. de jurisdic. cap. 8. n. 37.

MEV. ad jus Lub. lib. 1. tit. 2. art. 2. n. 69.

SCHE-



SCHEPLITZ in Confuetudin. March. P. 4. tit. 14. §. 28.  
 Auch wenn einer des vorigen domicilii sich begeben, und  
 den größten Theil seines Vermögens anderswohin trans-  
 feriret, und sich daselbst aufgehalten, die Vermuthung ist,  
 daß er ein neu domicilium daselbst contrahiret habe.

L. 2. C. ubi Senat. vel Clariff. ALTHVS. DICAEOI.  
 lib. 3. Cap. 1. n. 18.

GAIL. 2. obf. 36. n. 2.  
 und da Caspar Christoph Seeliger, bey Ibr. Czarischen Maj.  
 Kriegs-Dienste gehabt, und die Ingenier Capitain-Char-  
 ge verwalter, in Moskau sich aufgehalten, daselbst ge-  
 beyrathet, und Kinder gezeuget, daß er sein domicilium  
 originis verändert, und sich in Moskau würrcklich nie-  
 dergelassen, und daselbst festschafft worden, geschlossen  
 werden könnte, auch ein Soldat und Kriegs-Officirer sein  
 forum privilegiatum militare hat, hinc quoque miles ubi  
 meret videtur domicilium habere

L. 23. L. fin. ff. ad munic. STRVV. Ex. 9. th. 23.  
 und daß also Seeligers Wittbe nach denen in Moskau  
 üblichen Statuten oder allgemeinen beschriebenen Kay-  
 serlichen Rechten, vermöge welches eine Wittbe, wenn  
 3. oder weniger Kinder vorhanden, den vierten Theil des  
 Mannes Vermögens und zwar nur jure ususfructus erbet

Nov. 117. cap. 5.  
 ihres Mannes Erbschafft theilen müsse, es das Ansehen  
 gewinnet: Dennoch aber und dieweil, daß Caspar Seeli-  
 ger des fori domicilii sich begeben, und seit her er in Mos-  
 kau sich aufgehalten, daselbst ein neues domicilium con-  
 stituiret habe, nicht zu befinden, und eine bloße habitatio  
 kein domicilium würrcket

Sola enim habitatione domicilium non constituitur.  
 L. 17. §. 5. & 13. ff. ad munic.

L. 5. §. 3. f. ff. de Captiv. & postlim. revert.

son-

*sondern hierzu animus & voluntas permanendi & ipsum factum habitationis erfordert vviird,*

STRVV. d. l. th. 21.

CARPZ. lib. 2. resp. 22. n. 20.

*und daß Seeliger, da er in Moscau ein Ingenier-Capitain gewesen, den Sinn und Meynung gehabt, allezeit daselbst zu verbleiben, nicht zu vermuten,*

Regius enim officialis muneris quod gerit gratia in regno vel urbe commoratur, atque habitat, adeoque præsumtio est, non animo domicilium contrahendi, sed ex necessitate vel pro commoditate officii in illo loco eum subsistere.

arg. l. 2. C. de incol.

MEV. P. 5. Decif. 162.

REBFFF. ad Constitut. Gallia tom. 3. de domicil. elect. n. 7. & 8.

CARPZ. lib. 6. resp. 38.

*und also das domicilium originis in Leipzig behalten,*

Si enim de alio constituto domicilio non constet, tunc censetur quis retinuisse domicilium in loco originis, quod à patre in filium translatum, vel etiam domicilium habitationis paternæ.

COTHM. Vol. 2. Confil. 73. n. 38.

CARPZ. lib. 2. resp. 21. n. 14. & Decif. 1.

CHRISTIN. in C. tit. de munic. Vol. 5. Dec. 31. n. 31.

*Gestalt auch die Stadt Obrigkeit daselbst ihm einen Curatorem als absenti geordnet: So ist des verstorbenen Capitains Caspar Christoph Seeligers Erbschafft unter Wittbe und Kinder nicht nach denen Kayserlichen Civil-Rechten, sondern nach denen Leipzigerischen Statutis zu vertheilen, und besagter Wittben tertia hereditatis pars quoad proprietatem & usumfructum abzufolgen. V. R. W.*

T A N T V M.





Leipzig, Diss., 1726 K-z




f

sb.







8

1726, 31.  
17

DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
NON PRAESUMTA DOMICILII  
MUTATIONE

P. 89

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
CONSENSV  
SVB PRAESIDIO  
DN. D. JOH. FLORENTIS RIVINI  
INSTITVT. P. P. SVPR. CVR. PROV. ET CON-  
SIST. ADVOCAT. ORDIN. ET FACVLT. JURID.  
ASSESSOR.

*PRAECEPTORIS SVI OMNI HONORIS  
CVLTV AETERNVM PROSEQVENDI  
SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI  
D. XVIII. JVLII M DCC XXVI.  
SVBMITTIT  
AVCTOR ET RESPONDENS  
HENRICVS FRIDERICVS VON BRINCK  
LIPSIENSIS.*

LIPSIAE  
LITERIS IMMANVELIS TITH.

